

Universitätsbibliothek Wuppertal

**Linguarum Vett. Septentrionalium Thesaurus
Grammatico-Criticus Et Archæologicus**

Hickes, George

Oxoniae, 1705

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

<urn:nbn:de:hbz:468-1-1559>

A D

Amplissimum & Honorabilem Virum,

JOHANNEM PAKINTON,

De Westwood in pago Wigorniensi, Baronettum,

GEORGII HICKESII

De Institutionibus suis Grammaticis A. Saxonicas, & Mæso-Gothicas,

P R A E F A T I O.



N conficiendis Grammaticis hisce Institutionibus, Nobilissime Johannes Pakintone, pro ingenii mei modulo maximopere laboravi, ut Popularibus meis, Scotisque, quos etiam Populares dici velim, diligentia mea studioque ad linguae Anglo-Saxonicae scientiam facilis aditus pateret. Imprimis autem iis texendis eod operam dedi, ut ex utroque populo Nobiles liberanter instituti, quotquot patrias antiquitates, vernaculique sui sermonis origines scire cupiunt, auspiciis, ductu, & laboribus meis usi, absque magno nimis studio, multave sua opera ad illarum cognitionem quam celerrime pervenire possent. Absque magno nimis, inquam, studio; quoniam ad descendam linguam Saxoniam, quae communis nostra mater est, legenti Institutiones nostras paululum admodum industriae studio viro sufficiet. Deinde illa bonis avibus cognita, ad aviam Mæso-Gothicam intelligendam, negotiorum duntaxat intermissiones, & qui multi dantur à muneribus vita, ad studia reditus, ad superiorem doctrinæ Septentrionalis gradum scandere volenti abunde quidem erunt. Quinetiam illis, quibus linguas discendi facultas est, ipsæ pene subsecivæ horæ ad superandas non unam, alteramve; sed plane omnes antiquas Septentrionis linguas, quod satis est temporis suppeditabunt. Quod cum apud Patrem Tuum, virum ingenio præstantissimum saepius dicarem; Ille, qui quid in re quaque verissimum esset, acutissime potuit videre, rationibus meis adactus, quam primum per editas Institutiones Grammaticas liceret, linguae Saxonicae studere statuebat; quippe quod nobili Anglo, bonis literis eruditio, tam commode, laboreque tam exiguo linguam nolle dilcere, quæ vernaculae suæ fons esset, turpe ducebat. Hen. & Job. Spelmanni, Roberti Cottoni, Sim. Divesii, & Rog. Twisdeni, sui census & ordinis hominum exempla & auctoritatem illi proponebam. quibus ad Saxonorum studia, quorum egregii illi viri incredibili cum labore, quia sine Institutionibus Grammaticis, scientiam sunt adepti, animum ejus accendebam. Utebar etiam argumentis, quæ maximam partem faciunt præfationis, quam Institutionibus nostris Grammaticis Anglo-Saxonicas tum primum in lucem prodituris præmitti oportere duxi. Verum Illo præpropera morte nobis ante abrepto, quam Institutiones istæ ederentur, divinus ejus animus è custodia, vinculisque corporis liberatus, neque antiquum istum sermonem, quem intelligere studebat, neque hodiernum, quo æqualium suorum nemo aut purius, aut dulcius, aut ornatius, aut denique aptius copiosiusve dicere potuit, amplius curans, immortalitatem in cœlis affecutus, linguis angelorum loqui coepit, par angelis factus.

Doluit Illius mortem non civitatis tantum, sed totius pagi Wicciorum quum populus, tum maxime clerici. Qui quam mirifice Patrem Tuum, seu potius GENTEM PAKINTONIAM amarent, eo testificabantur, quod Illius filium unigenitum, hujus spem unicam, & reliquias, Te, quamvis minorenem, XIX annos, aut eo minus natum, eligere voluerunt Procuratorem, cui per syngrapham datæ auctoritatis vices suas in Communium senatu demandarent. Doluit, inquam, Patris Tui obitum Wicciorum quum populus, tum maxime clerici; quem quod gentilitia observantia semper coleret, singulari pietate diligeret, & auctoritate sua dignitatem sacerdotii tueretur, eo fecit, ut tanquam Ecclesiæ & cultus divini apud Wiccius propugnator maximo cum honore, & constanti fide à clero pariter coleretur. Imprimis autem Illum Eccl. Cath. Wigorniensis, Episc. & clerici semper diligebant. Quibus cum vicina PAKINTONIA gente à reformatâ religione ad mea usque tempora constantes amicitiae, & perpetuae, exque conjunctissimæ familiaritates, atque necessitudines intercedebant.

Majoribus

P R E F A T I O

Majoribus Tuis nihil illis charius; Illis nihil Majoribus Tuis aut magis in amore, aut existimatione, aut deliciis erat. Mutua charitas, mutua benevolentia, mutua hospitia, mutua consilia, auxilia mutua, & ut verbo dicam, mutua, honestaque officiorum certatio lacram Ecclesiae familiam Vestrarumque vicinam Westwoodensem stabili amicitia conjungebant. Ante omnia vero una in religione utriusque mens, unus in cultu divino mos & consensus, idemque prorsus tuendae, amplificandae, quidni dicam, & manumittendae Ecclesiae Anglicanæ studium alteram olim alteri perfecto amore conglutinabat. Tu pariter majorum vestigiis insistens, & quasi traducem in Ecclesiam charitatem, quæ omnes omnium fidelium charitates una complectitur, in corde gerens, Comitiis non ita pridem in Publicis Ecclesiae suam libertatem à servitate, qua ante longinquum tempus per Regem Henricum VIII. mancipata fuit, summa cum laude Tua vindicare tentasti. Id alio forsan magis opportuno tempore Tibi, Tuique similibus, qui Ecclesiae sua primæva jura restituta ve- lint, denuo tentandum erit. De quibus quidem juribus conservandis privilegium latum etiam num extat legendum in Chartæ, Magnæ dictæ, primo Capite, ubi imprimis Rex Henricus ille III. perinde ac regis Christiani officium requirebat, Confirmat pro se, & heredibus suis in perpetuum, quod Ecclesia Anglicana libera sit, & habeat omnia jura sua integra, & libertates suas illætas.

Hæc de Patre Tuo dicere mihi fas sit, quocum amantissime & conjunctissime vixit; quanta aliquorum hominum esset admiratio, vel querela, qui in laceranda omni scelere Ecclesia, eaque funditus, quoad possent, delenda tum occupati erant. Hæc etiam de Illo scribere per leges amicitiae mihi quasi parentanti licet, cui omnia, ut secum, loqui solebat, animique lui penetralia aperire: quem Sibi ægrotanti à sacris esse voluit; & à quo porro in sepulchrali majorum cavea, ut conderetur, moriens præcipiebat. Præterea neque quis non iniquus censor à præfationis instituto prorsus alienum putet, Genitorem Tuum me commemorasse, qui *Pbilo-Saxo* à me prius factus erat, linguæque *Saxonice* voto studiosus, quam diem obiit supremum. Accedat, quod amicitiae nostræ memoriam sempiternam esse velim; & quod in laudibus Ejus prædicandis *vicinitatis* etiam ex officio ac jure recte apteque fecisse me ipse mihi videar. Addo ex vicinitatis jure, quam cum Terentiano illo sene in propinqua parte amicitiae, ego puto; qui tribus & viginti abhinc annis Ecclesiæ Wigorniensis Canonicus, deinde, haud tribus aliis interjectis, à Canonico factus *Decanus*, Penatibus vestris Westwoodensis, ad quos hospes gratus nunquam non adveni, *vicinus* longo tempore degebam. Neque vero hoc à me arroganter dictum à Te existimari velim, sed propter dulcem loci recordationem, quem *Hammodo*, *Gunningo*, aliisque multis, quibus non dignus erat mundus, tam è populo, quam è clero præstantissimis viris, adversus perduellionum furorem, salutis perfugium *Avus Tuus*, Aviaque fecerunt. *Avus Tuus*, qui erga CAROLOS reges Magnæ Britanniae omni officio & pietate stabilis, & illustris, in regia causa sustentanda propugnandaque per XIX annos plus facultatum impedit, quam aut filio reliquit, aut Tibi nepoti jam nunc, etsi sati large, supersunt. In *Avia* vero Tua illustrissimi *Thomæ domini Coventry*, magni sigilli custodis, filia, virtutum omnium, imprimis illarum, quæ in actione vitæ Christianæ consistunt, splendor maximus erat cum summo ingenio, & pure, apte, distincte, ornateque dicendi facultate conjunctus. Quibus adeo excelluit, præsertim in æquabili & temperato scribendi genere, ut libri de OFFICIO HOMINIS Anglice ab anonymo Editi, & ob mirificam operis in suo genere perfectionem per totum orbem Christianum notissimi, auctrix & dici, & haberi mereretur. Sacras literas, rerumque divinarum scientiam, omniaque quæ à Philosophis sive profanis, sive Christianis de Officio gravia & utilia tradita sunt, æque ac le scire dicebant viri doctissimi *Hammondus*, *Morleyus*, *Fellus*, & *Thomasius*. In patriis etiam antiquitatibus adeo Illam hospitem non fuisse audiui, ut eas fere cum primis sciret. Neque id adeo mirum, cum virum longe doctissimum *Nortonem Knatchbull Baronettum*, Tutorem & institutorem Adolescens haberet; & conjux facta clarissimum *Hammondum*, aliosque illius æquales, maximos viros, sibi quos audiret, adsciceret.

Neque porro hæc de Genetrice Tua ad rem minus dicta à sapienti quoquam putari velim: quando nullum majus, naturæ hominis aptius ad virtutem, & vitæ honestatem incitamentum esse possit, quam posteris majorum, & præcipue liberis, imitanda parentum exempla, & memoriam colendam prodere. Denique adeo non præter institutum, horum quicquam à me dictum arbitror, ut plane nihil iis aptius, magisve ad propositum scribere posse mihi videar, quibus Tibi suadere aut possim, aut velim ita facere, ut in Paternis ædibus, ubi humanæ, & divinae literæ non ita pridem floruerunt, *Saxonice*, & *Dano-Saxonice*, tum literæ, tum antiquitates, Te auspice, apud *Wiccios* reflorescant. Qui olim legendis *Hebreis*, *Græcis*, *Latinisque* literis faustus, & amicus erat; studendis *Saxonici* adversus, & contrarius non potest esse locus. Ibi porticus, atria, propylæa, horti, ambulacra clausa & subdialia, recta & sinuosa, omnia studiis commoda. Ibi luci, sylvæ, nemora, prata, saltus, planities, pascua, & nihil non, quod animum pene à literis abhorrentem ad legendum, audiendumve, & quovismodo discendum componere & conciliare potest. Ibi igitur cum necessariis negotiis, curisque vacuus aut sis, aut esse cupias, Institutiones has *Grammaticas* in manus Tibi lume. Locisque beatis in istis Tuis, *Daphnes Antiochenum*, aut *ipsius Elysiæ* æmulis, Musarum quidem domiciliis, natura & arte ad studia comparatis, finge *Saxonicas Musas* Tibi semper proprias adesse. Finge in illorum viretis, & quasi sacris umbraculis, *Cuthberhtum*, *Cædmonem*, *Bedam*, *Guthlacum*, *Ælfredum*, *Ætheldrytham*, *Æthelswitham*, *Æthelfledam*, *Edgitham*, & imprimis *Wigornientes vestros Episcopos Osvaldum & Wulfstanum*, tanquam tót præsentes deos, deasque Tibi *Saxonici* literis operam danti semper præsentes fore.

Ad

GRAMM. ANGLO-SAX. &c.

Ad harum studium Te, per illorum Sacros manes; & Tecum, quorum personas hac in præfatione sustines, nobiles *Anglos*, ut meo ductu animos Vestros appellatis, hortor & obtestor. Meminisse Vos oportet, Vobisque ob oculos ponere, majorum & minorum gentium populares, qui in hoc studio, sive potius palæstra, sine institutionum grammaticarum ullo, si dicam, *Ariadnæ filo*, suis exemplis Vobis præluxerunt. Turpe sibi duxit Patricius vir *Christophorus* Dominus *Hatton*, ut *Robertum Cottonem Brucæum*, aliosque præteream, Saxoniam literaturam, quasi contemptui habendam, ignorare. *Henricus Spelmannus* è re familiari sua minerval annum dedit *Abrahamo Wheloco*, ut in Academia *Cantabrigiensi* literas *Saxonicas*, publice legendo, & Codd. mss. edendo, quasi ab orco revocaret. Exteri quoque præclarri homines & auctores, *Gerard. Jovan. Vossius*, *Olaus Wormius*, *Patricius Junius*, *Jovan. De Laet Antuerpensis*, Alterque *Casaubonus*, *Saxonicas* nostras literas & antiquitates, ut, quoad ipsis liceret, intellegenter; & ad *Græcas* & *Latinas* ad jungerent, omnibus viribus contenderunt. Vobis autem ad illarum cognitionem aditu facto, non amplius jam difficilis, multo minus insuperabilis, sed facilis, plana, & expedita via est. Facilis, inquam, recta, & expedita via *Saxonicae* literaturæ opere hoc nostro strata est. Cujus pars hæc prima ad literarum *Saxoniarum* scientiam; totusque liber secundus, quem meo auspicio ductu que curavi scribendum, ad librorum, qui *Saxonice* scripti sunt, notitiam dicit; tam eorum, qui in lucem emittuntur; quam qui in membranis exarati jacentes opem Vestram flagitant, qua tandem aliquando typis edantur. Surgite igitur quotquot eruditi estis & Institutionum Grammaticarum præceptis generosos Vestros animos imbuite; iisque sufficienter parati & muniti, ad libros *Anglo-Saxonum*, *Dano-Saxonumque*, à quibus magna Vestri pars genus ducitis, evolvendos, qua par est diligentia, procedite. Id Vobis faciendum est, si sermonis *Anglicani*, in quo tot è Vobis dicendi magnam vim, & facultatem affecuti estis, origines; si vocum, quibus loquimini, causas, quibus gaudetis libertatum, legum, morum, & consuetudinum magnæ partis si primordia recte scire velitis; id Vobis omni studio laborandum est. Quid enim per Majorum monumenta & imagines, per signa, tabulas, & toreumata, cæteraque insignia gentilitia Vestra Vobis dignius, quam honestissima ea studia præcipue colere, quibus maxime ab humili & agrestis generis hominibus, *bubulcis*, *pastoribus*, ac *idiotis*, viri generosi ac nobiles distinguuntur? Nam inter nobiles, & vulgus hominum hoc maxime interesse videtur; quod hi tantum, quantum sensu moventur, ad ea solum, quæ adsunt, & quæ præsentis usus sunt tanquam pecudes se accommodant: Nobiles autem, qui liberales, & sublimes animos bonis artibus, & disciplinis institutos habent, principia, & causas rerum vident; earumque progressus, & antecessiones facile perspiciunt, similitudines comparant, vetusta novis, præsentibus præterita adjungere scientes, atque etiam quæ ventura sunt. Hæc autem in avitarum literarum studiis, quibus Vos Vosmet exercere velim, potissimum feceritis. Quæ quam jucunda, quam libero homine digna, & quam fructuosa sunt; in dissertatione singulari, quæ hujus operis pars quarta est, multis argumentis ostendi. Hanc in *Saxonica* aliquouique progressi, ut diligenter, & æquo animo legatis, à Vobis impetrare velim; & si de antiquæ literaturæ Septentrionalis utilitate; & imprimis si de fructibus ex *Saxonicae* lingua studio capiendis in meam pedibus eatis sententiam; tum per sacros Majorum manes, per *Asas Asiniasque* omnes, per *Angliae Scotiæque Saxonicae* notitiam, per jura, moresque vetustos, per veterum codicium pretiosas membranas, & quæ *Christiano* homine obsecratio magis digna est, per *Evangelia Saxonica* vos oro, & obtestor, quotquot vel in palatio, vel in senatu auctoritatem aliquam habetis, & Te imprimis, *Johannes Pakintone*, id omni ope & opera eniti, ut *Collegium aliquod antiquitatum*, quale *Holmie* apud *Suecos* est; saltem ut prælector aliquis in altera, vel utraque potius Universitatum (quibus Orbis pares non habet) quamprimum instituatur, qui juventutem *Anglicam* antiquas *Septentrionales* linguas, & præcipue *Saxoniam* doceat, Codicelque *Saxonicos* mss. pulicandos curet, & cujus porro curæ fideique posthumæ quorundam doctorum libri rem *Saxoniam*, & antiquitates *Anglicas* spectantes, & præsertim quos *F. *Junius F.F.* Academiæ Oxoniensi legavit, impensis publicis edendi demandentur. Crede mihi, Vir ornatissime, nihil *Anglicano* nomine indignus, gentive doctæ honestæque turpius opprobrium nullum esse potest, quam, majorum codices, antiquitate sua venerandos, mucorem & situm contrahere, aut pulvere foedari, aut blattis rodi, aut carie corrumpi; aut, quod reip. literariæ perinde damnosum esset, tanquam malos angelos in æternis vinculis sub caligine servari, æquo animo ferre posse. Quod quidem neque *Galli*, neque *Batavi*, neque *Dani*, neque, qui monumentis suis *Sueo-Gothicis* vetustis publicandis ad gloriam sui nominis maxime operam dant, *Sueci* tolerare vellent, id ferre, id pati, id sinere posse *Anglos*, qui eruditione, ac ingenio præstant, *Angulum* quidem piget dicere. Quamobrem, clarissime *Pakintone*, cum antiquæ *Septentrionis* literaturæ, & potissimum *Saxonicae* instauratio, res tam pulchra, tam honesta, & liberaliter educitis hominibus tam digna sit; pene nunquam quicquam fingere animo licet, quo aut Vobis majorem laudem, aut majorem patriæ Vestrae gloriam comparare poteritis, præsertim qui *Senatores* estis; quam ita agere, ut per Vos literæ istæ quasi postlimonio in *Angliam* suam revocentur. Illarum thesaurum omnium longe incompletissimum *Cottonianum* lege lata salvum, stabilem, securumque reip. literariæ fore voluistis:

* Lingua Anglica Etymologicum magnum. con *Saxonicum*, *Gothicum*, *Runicum*, *Islandicum*, *Tatiani Harmon. Evangelic. Francice. Lexicum*, *Francicum*. &c.

P R E F A T I O

superest pariter privilegio de illis lato, ut cum *Hebreis*, *Græcis*, & *Latinis* à publicis prælectoribus doceri eas faciat. Id a Vobis suavissima Majorum memoria; & ab AUGUSTA magnum, à quo genus dicit, *Ælfredi* nomen videtur flagitare. cui parem in animi magnitudine, omne genus eruditione, dicendi, scribendique facultate, diligentia, constantia, patientia, pietate in dum, numeroque etiam victoriarum, quas de bellicissimis hostibus reportavit, si unum excipias *Julium Cæsarem*, antiqua tempora neminem habuerunt.

Verum enim vero, *Johannes Pakintone*, Te non tantum ut *nobilem Anglum*, sed etiam ut *nobilem Wicciū*, cum omnibus *Wicciū* pagi nobilibus, quos pariter ac Te in hac præfatione compello, ad *Saxoniarum* literarum studium, simul & patrocinium *maxime adhortor*. Etenim ut + *Wicciū* pagus, qui * *Merciæ*, omnium *Angliae Saxonice* regni longe amplissimi, pars, incolarum frequentia, Ecclesia Episcopali, & conciliis, quæ *Gemotæ* dicebant, celebris erat: sic *Saxonice* literaturæ & vetustatis reliquiæ & vestigia ad *Wicciū* populum spectantes; opidorum, vicorum, fluminum, sylvarum, camporum, viarum nomina; adhæc voces, phrasesque, quas à locis, in quibus usurpantur, *topicas* vocamus; denique chartæ, testamenta, acta curiarum, obituaria, terminorum prædialium chorographicæ descriptiones; & id genus quidem multa pretiosa, nobilium *Wicciorum* indagatione imprimis digna, quæ in *Saxonice* versatum lectorum requirunt; rapinæ *Nortmannorum*, bellorum civilium vastationibus, eversis Monasteriis, factæque etiam contra *Carolum I.* regum optimum rebellionis furori, etiamnum supersunt. Cum de his Sermones cum *Johanne* Patre Tuо haberem, memini quam erant Illi dulces, & literarum *Saxoniarum* quam mirabiles amores in illo excitabant. Me tum primum locorum nonnullorum nomina *Saxonica* recitantem, vocabulumque unum atque alterum *Wicciorum* & finitimarum populorum ad origines *Saxonicas*, rogatu suo, revocantem incredibili voluptate audiebat. Nomina locorum, quæ recensebam, hæc & hujusmodi fuerunt: *Vigopenacearþep*, *Wigornia*, *Britannis* *Cear-Wrangen*, vel *Caer-Gorangon*, una ex xxviii civitatibus nobilissimis, quibus, ut Beda loquitur, *Britannia* insignita erat, antiquitate, longa Episcoporum successione, comitumque serie; Ecclesia Cathedrali; monasterio in collegium Decani & Canonicorum converso; situ ad *Sabrinam* fluvium amoenissimo; platearum nitore; pavimentorum æquabilitate; civium humanitate & industria summa; aere saluberrimo; victuum omne genus copia; pannificio incomparabili; fideque sua in *Carolum Il regem*, cum perduellionibus de regno armis decentantem, urbs cum primis celebris. *Pipua sylva* quernea, sic vocata; Nunc *Perrywood*, prope *Wigorniam* arboribus spectabilis, juxta quam Rex *Carolus II* in adverso prælio cum perduellionis *Cromwelli* copiis congressus est. *Evesham*, nunc *Evesham* municipium antiquum, olim ob majorum gentium monasterium celebre; nunc titulo Baronis, quo insignitus est *Johannes dominus Somers*, nobilitatum & illustre factum. *Benning-peopð*, *Benning-poppð*, (forsan à *Pending-peopð*) *Benning-worth*. *Benning-wyrth*, *Benning-wurthe*, nunc *Benge-worth*, olim castellum, nunc viculus ad caput pontis *Eoveshamensis*. *Fleotan-býríg*, *Fiodan-býríg*, *Floban-býríg*, *Flebanbýríg*, *Fledanbürk*, *Fledibury*, nunc *Flatbury*, vicus ob amoenissimum situm in ripa *Avonis* fluminis celebris. *Hean-býríg*, *Heanbyri*, nunc *Hambury*. *Enihta-tun*, *Cnihton*. *Capdulfer-tun*, *Carlston*. *Momela*, *Mamble*. *Ljoh-leag*, *Ljohleah*, *Crowle*. *Snofer-leag*, *Snofer-leah*, nunc *Snodesbury*. *Oding-leag*, *Oding-leah*, *Oduncaly*, *Oduncley*, *Odingley*. *Sceapper-tun*, *Sceapwestun*, *Scipeton*, *Shipston*. *Hene-poppð-tun*, *Hereforton*, *Hertfortune*, nunc *Herbington*. *Scipenac*, *Shurnock*. *Lapepn*, *Latine Lauverna*, *Lawern*, *Lauhern*. *CROMBA*, *Crombe*, *Crome*. Tres loci sunt in pago *Wicciorum*, qui hoc nomine gaudent: *Crome youngs*, *Crome earls*, & *Crome hill*, alias *Youngs Crome*, *Earls Crome*, *Hill Crome*: Omnes, illustrissimæ *Coventreyorum* familie amplissimi patrimonii pars. Quorum unum hic *Saxonice* descriptum gratia honoratissimi Domini, *Thomæ Dom. Coventrey*, qua pars est observantia, exhibeo.

V. H̄da at CROMBAN.

Of þintepbypnne onþlang þær oð hit cymed to þam Mæhege. onþlang þam oþ þ hit cymed upon þa dune. of þær perþeapd oð þ hit cymed to þære ealban dic peartþeapdne.

† A *Saxonico* *Vic*, *Vice sinus*, vel *angulus terræ latus brevisque*, *ripa* vel *littus incurvum*, *sive fluminis sinus*. *Wicciū*, *Saxonice* *Vicpapa*, *Vic-rætan* nomen sumpserunt. A *Vicpapa* vero, & *cearþep*, *urbs*, *Wicciorum* *Civitas* *Vicpapnacearþep*, *Vicpapnenacearþep*, & abinde per corruptionem *Vigopa-cearþep*, *Vigopa-cearþep*, *Vigpa-cearþep* (unde *Nortmannis* *Wiccester*, à quo *Worcester*, *Worchester*) *Vigopena-cearþep*, *Vigopena-cearþep*, *Vigopna-cearþep*, *Vigopna-cearþep*, *Vigopna-cearþep*, unde *urbs Latine Wigornia* vocata est.

* *Saxonice* *Mýnce*, *Mýncan*, *Mercii*. *Mýncenaland*, *Mýncenaland*, *Mýnceneland*, *Mercia*. *Mýncenapice*, *Mýncenapice*, *Mýncene-pice*, *Merciorum regnum*. Et *Mýncenalage*, *Mýncenlage*, *Merciorum ditio*, vel ea *Angliae* pars, quæ *Merciorum* legibus regebatur. *Mýnce* autem, vel à *Meapc terminus*, *finis*, quod reliquorum *Heptarchia* regnum, ut quod mediterraneum regnum esset confinis *Mercia* fuit; vel à *Mæpe*, *Dano-Gothicè* *Mior*, *magnus celebris*, & *Rice regnum*, quod *magnum* *xar' iżo-* *z̄ regnum* esset, dictum aliqui putant.

GRAMM. ANGLO-SAX. &c.

Hit cymed on hōne mænepērīg. ondlang þær þ hit cymed on Bicceretan. ondlang þær þ hit cymed on þ little riþig. on þær a be noldan þ hit cymed on hōne acephæge. ondlang þær on nippanteag. ondlang þær midpeapdne þ hit cymed to ham lýtlan pege. ondlang þ oð þ hit cymed on Ægletonan. ondlang þat oð þ hit cymed eft in þa bnpnan:

Bnegner-pord, **Braunford**, pulfender-hlæpe, **Wulferdeslave**, **Wulferdilea**, **Wulferieslai**, nunc **Wulverley**. Loddan-Hpicge, **Coddaricge**, **Coddaricce**, **Codderige**, **Cotherige**. **Biccer-pord**, **Beccer-pord**, **Besseford**. Cujus incolæ, ut puto, in *Crombe* descriptione Biccer-retan vocantur. Prænobili *Seabribitorum* familia clarus jam diu est hic locus; quam à *Saxonibus* genus duxisse vel nomen ipsum ostendit: quod à *Saxonis* Se beopht, vel Se biþt, in compositione per literarum metathesin *Sebriht*, omni fere proculdubio derivatum videtur. Idque nominis, vel cognominis, quod *Illustrem Illum* significat, præclarus aliquis Saxo, forsan hujus familie princeps, præclaris suis moribus, rebusve gestis apud suos meritus est. **Heod-Mæp-lea**, **Hrydmærlege**, **Hrydmarlege**, **Kedmarley**. **Týpbebicga**, nunc **Larbeck**. **Pitlea**, **Pitleah**, **Witlaege**, **Whitley**. In occidentali parte *Com. Wigorn*. ultra Sabrinam flumen, qua Septentrionem spectat, duo propinqui hujus nominis loci sunt: Quorum alter viri ingenio, doctrina, & humanitate præstantissimi, *Thomæ Foley* armigeri, *Stratfordiae* in Senatu *Comm. Angliae* procuratoris dignissimi, sedes paterna est. Quam per antiquos suos limites *Saxonice* duobus modis descriptam, ut summam erga dominum observantiam cognitam facerem, hic exhibitam esse volui.

Vitlea. Of þnum gemæpan peþpiht on þa dic. ondlang þær on cyllanhpicg. of ham on Sylpe. ondlang þær on þa hæbihtanlea. Ira on þæt rule rluh. of þær oþer buttinþagnaf on Ecclesboc. ondlang þær on Dopepic. Iterum. Of . . . mæpun on Siþcepð. of ham on feapnhæge. of ham on gipndapege. of þam to ricacan. of ham to þrigemænum. of ham to cyllanhpicge. ondlang þær to hæne ealban du. of þær on rtanboc. ondlang þær on tæclerboc. of ham on Bæþepic. of ham on doþepic. ondlang þær on ræfepn.

Salbejer-porda, Saltejer-porda, **Hawford**. Beonet-lea, Beonetleah, **Wentley**. Heoptlanbypig, nunc **Hertlebury**, Bradincota, **Bradicott**. Pipitun, **Pirton**, Lubilea, Lubileah, **Cuddilea**, **Cudley**. Pulþintun, **Wulbertun**. Accatun *ultra Tamedam* fluvium, nunc **Acton-Beauchamp**. Teodintun, **Tedington**. Meapanclif, **Marncliffe**, **Marncliff**. Ufepabypig, **Oberbury**. Fepretna-tun, **Fepinton**, **Fepston**, Pendler-clif, **Wendlescliff**. Biþtan-pylla, Brihtwell. Pica, **Wic**. Lipman-lea, **Grimley**. Morlea, **Mausley**. Canulfer-tun, nunc **Alston**. Decey-lea, **Dexley**. Epslea, **Apsley**. Hymeltun, **Humeltun**, **Himmelton**, **Himbleton**. Hpira-hlinc, **Whitelenc**. Hlinc apud *Saxones* aggerem limitaneum significat, quo agri sive privatorum, sive publici disternantur. hinc tot nomina locorum, præsertim in pago *Wiciorum*, sumpta: ut **Whitelench**, **Ashlench**, **Churchlench**, **Hoblench**, **Rouslench**. Elm-*retan, incolæ vici, ut ego judico, qui olim Elmaege, nunc vocatur **Elmley**. Ombeþetenan, incolæ vici, cui nomen **Ombersley**, **Tuo qui Westwoodo** propinquus est. Ahepe, fluvius sic dictus, qui oppidum à se Arvechurch, vulgo Alchurch appellatum, nostras non ita pridem delicias, præterlabitur. Pic, **Wyche**, alias **Droit-wyche**, quod à *Dritwyche*, (drit autem vox *Nortmannica*, idem nunc ac *dirt* denotat) municipium antiquum falsis aquis celebre; & **Wychebolle**. *Saxonice* picanbottle, vel picanbyttle, vel picanbold, i.e. *villa* vel *aula Wicensis*, proximo Tibi notissima. Hæglea, Hægleah, **Hagley**, vicus prænobili & antiquæ virtutis ac fidei homine, *Carolo Littleton* Baronetto, domino suo clarus. Salepeappa, Salopoppa, **Halewearp**, vicus *Tuo Westwoodo* proximus, nobilissimo domino suo ob antiquos mores, & antiquam gentem, unde genus dicit, celeberrimo, *Jobanne Talbot* Baronetto clarus, cujus avita sedes est. Locum hunc, qui à vicino fluvio nomen fortitus est, per limites suos *Saxonice* descriptos hic quin exhiberem, non potui; ut testificarem honorem, in quo illum ab amicitia nostræ incunabilis semper habui, & habiturus sum.

Salepeappan. Onþlong hæne ea Salopeappe in *Lolþord*. of þær in Næleþboc. ondlang þær Siþpan in hōne Ealban Secgmon. of ham onan betpenan ac-pudu I palleah. Ira æfpe betþyx ham tƿam pudan in Alþabnoce. ondlang þær in hōne oðerne *Lolþord*. Irua eft on Salopoppa. Iterum. Et *Lolþorda* ondlang þær rtþeamey. ondlang þ oð þ hit cymed þær Doþepðæl I

* Apud *A. Saxones* aliasque gentes *Septentrionalis* per Setan & Setenan *Incolæ* exprimuntur, unde mihi est opinio *Urbes An-setenses* vel *Aen-setenses* non à nostro *An* vel *Aen*, *Goth*. **ANSTS**, favor, gratia, ut olim sentiebam; neq; à *Francisci Junii h. ANS*, ita dictas esse: sed à *Cimbrico* A, flumen, aqua, in regimine Aen, (cujus gen. plur. Anna) & Seat vel Sæt, sedes, habitaculum. unde in compositione *An-set*, *An-seat*, urbs maritima vel fluminea; Latino-Barbare, Urbs *Anleatica* & *Hanseatica*. Etenim alias *Germanice* Urbes istæ *Anseaticæ*, *An-gesteeden* vel *Aen-gesteeden* dicuntur. Sæt autem vel Seat significare ut *sted*, *rætab*, *rætab*, *rætat*, *stationem*, *sedem*, *habitaculum*, & per senecdochen *urbem*, *oppidum*, *Saxonica Sumur-rætar*, *Sumur-setenses*, *Dop-rætar*, *Dor-setenses*, vel si usus vellet, *Sumur-seatici*, *Dor-seatici*, luculente demonstrant. Dop-rætar autem est ejusdem plane significationis ac *An-set*, *Aen-set*, *Aen-seat*; scil. *oppidum* maritimum vel flumineum, ex Brit. Dwr vel Dur, aqua, & *Sax*. Sæt, compositum. Huc quoq; spectant *Sax*. Dun-ræta, *habitacula in montibus*; *Dene-ræta*, *sedes vel mansiones in vallibus*; & *Germanicum Holt-sæta*, *Holt-satia*, vulgo *Al-satia*, quod *Sedes* aut *Habitacula in sylvis* denotat. *Græce γῆθιμος, οἰκούμενος*.

P R E F A T I O

Saleopp togebeue licgað. ondlang þær Doxenbæler ongean r̄tream to Picordia. ſua ondlang þær vices onbutan hone pudu. Þ ſua ondlang þær ȳmb Lollhill þ ſua on Salepeappan. + ond æt Hunigbuynnan tƿegen Feorhiaſ. I xi æcepas Earþlanter. I æt heanleag iiiæcepas. I æt Bispneburpan þ medpelante to Bæplægerice. I on Bradaannmedpad xiiæcepas medlander. on Pictune feorða dæl pudulanter. V hiba to Væperleage. of þære r̄tpæte ðe r̄ceot to Heoptlabýrig on þa dic. ondlang þær on hone mop. of þam ondlang ȝearber on þi lipȝeat. of þam on Elmeretene ȝemæper. ondlang þær on Ombejeretene ȝemæper. ondlang þær on þa Poptyrþat. ondlang þær on Hacever-rtubbe. of þær on Lumbpanpille. of þær on Fagan-rtane. of þær on Æþelnoþer-cnoft. of þær andlang þær ȝemæper eft on þa dic.

Alii Saxonice appellatio[n]is, si non originis, vici, viculique sunt plurimi in Wicciorum pago, ejusque confiniis, qui in legendis Saxonice mihi occurserunt: ut *Vulfriderhæpe*, *Wulferdislea*, *Wulverdeslave*, *Wulwardelege*, *Wulfariefslay*, *Wulverley*. *Halleȝ*, *Halleg*, *Hallow*. *Spoeclæg*, *Spoecleah*, *Spœchley*. *Pepercope*, *Pepercopa*, *Peprcope*, *Peprcopa*, *Pershore*. Alii etiam loci multi sunt, *Saxonice* nominibus gaudentes, quos in vetustis *Sax.* membranis aut non repperi, aut non observavi: ut in regio censu, *Domesday-book* inscripto, *Bpamey-Isþæȝ*, *Bromesgrov[e]*. *Grafton*, in *Saxonice* seculis citra controversiam *Isþæȝ-tun*, vel *Isþæȝ-tun*, inclyta gentis *TALBOTORUM* sedes, nunc Carolo, illustrissimo *Salopiæ*, mihi licet potius dicere, *Scrobsburia*, duce, splendidior facta & ornatiōr. *Holm*, unde *Holm-Castle*, vulgo *Ham*-*Castle*, nobilis familiæ *Jeffreysorum* antiqua sedes: quæ jam gaudet *Henrico Jeffreys* armigero domino suo pereruditio. qui privatam vitam publicæ anteponens, avitas ædes, quasi in Musæum convertit, ubi reip. administrandæ potestatem aliis laudemque concedens, nobili otio, bonarumque & optimarum artium, & scientiarum studio se totum quietus & suo contentus dedit. Accedant *Hind-hlip*, i. e. *cursus cervarum*; *Hindlip*, *Thomæ Abington* armigeri, ob *Anglicarum* antiquitatū, & potissimum *Wicciarum* Scientiam præclari, avita sedes. De qua mentio facta est in descriptione loci *Saxonica Pendler-Elif* vocati, quam cum aliis exscriptam penes me habeo. *Fepretnatun*, *Fepsinton*, *Fepston*. *Eoplangelabe*, i. e. *Compitum* [bivium, trivium, vel quadrivium] *Eowla*. Hujus loci etiam descriptionem *Saxonicanam* habeo; *Eowla* vero vel *Eowle* *Compitum*, an idem sit, ac *Helwell*, illustrissimi Otheri domini *Windsor*, Comitis de *Plymouth*, paterna sedes, ex ejus descriptione judicent ē *Wicciis*, quibus locus ite notus est.

COPLANGELADE.

Of Eoplant-gelade ondlang hær Bladene. of hær riðiger þi rúa on Fugelmære. of ham on
Lilðbeoph. of ham ondlang hær Sealrþæt to han rtan. of han to han oþeran rtan. þi rúa
to han hƿiddan rtan. 7 to han feoppðan rtan. of ham to hƿeþe ȝpenan rtige. of ham to
Lafercanbeoph. of ham on hƿone alban pege þi rúa ofer hƿone bƿoc. þi eft on hƿone ealban
peg. of hær þi ƿorð ondlang dune a bi heafðan. ondlang þi oð þi hit cymed to han eal-
dan ƿlo. of ham to ham lytlan beoph. of ham on þi ric. andlang hær ofer hƿone bƿoc to
Heoptellan. of hær to Heptellan. of hær a bi han eapðland to han tobrocen an beoþ.
of ham ƿorð on geniht on þi ric. of ham be han heafðan, ondlang þi oð þi hit cymed to
Bladene. ondlang þi oð þi hit cymed eft to Eoplantgelade.

Hactenus, *Johannes Pakintone*, tum ut nobilem *Angulum Te*, tum ut *Wicciūm adfatus, Saxonicas* literas utrovis nomine à Te addiscendas esse, quod illarum Scientia quām jucunda, tam utilis; tum maxime quod honesta, & liberali homine digna sit, plurimis verbis contendi. Verum enim vero hic mihi temporare nequeo, quin ulterius progressus experiar etiam, an Te ut Nobilem, *stirpis antiquitate illustrem*, ad literaturæ *Septentrionalis*, & potissimum ad *Saxonice* studium, per Majorum Tuorum manes provocare possim? Quanto enim quisque vetustiori stirpe ortus est; tanto magis illi omni ope, & opera enitendum est, ut sermonem, moresque temporum, in quibus majores sui floruerunt, aut à quibus prope vixerunt, sciat; quippe quos sane necire liberali homini & illustri loco nato tantum non turpe, certe indecorum, & natalibus ejus prorsus indignum est. Quid in longinquis terris, & temporibus, apud Græcos Romanosque dictum, factumve sit, illorum libris diligenter incumbentes nobiles nostri liberaliter instituti, ut cognoscant, quasi æmuli certant. Quid vero domi ante sexcentos, vel octingentos annos ab atavis suis, quoве sermone dictum est; quid ab iis factum, quoве linguarum genere, vel quibus in membranis, quas gesserunt res posteris proditæ scribuntur, adeo scire non avent, non curant, ut ea plane quasi à se penitus aliena nonnunquam maxime aspernentur. *Romulum, Numam, Brutos, Scipiones, Catones, Cæsares* crepant, qui à quibus ortum & nobilitatem suam ducunt ignorant, veteraque *Græcorum, Romanorumque Codd.* fragmenta mirantes auro pretiosiora habent; dum monumenta à majoribus sibi relicta, antiquasque literas, quibus committuntur, parvi & fere nihil estimantes, tineis & blattis turpiter dedunt; &, quod pudet dicere,

[†] Hic descripti Salewearpæ finis esse vide-
tur. Quæ sequuntur aliorum prædiorum lo-
corumque adjacentium descriptiones, meo ju-
dicio habendæ sunt.

GRAMM. ANGLO-SAX. &c.

non raro pistoribus, & cocis, non sine maximo majorum contemptu, siue ingenti dedecore, illorum copiam faciunt; aut si facta sit ab aliis, graviter non ferunt. Ita qui foras aquilæ esse cupiunt, domi esse talpæ contenti sunt; & contra id, ad quod natura hominis comparata esse videtur, è nobilibus nostris multi, qui stirpium suarum vetustatem, & propter eam, se magni faciunt; vetustos tamen majorum Codices, vetustos mores, vetustique sermonis progressus, quo locuti sunt, tantum abest, ut scire studeant; ut illorum scientiam modico studio assequi, neque operæ pretium, neque dignitatis suæ, nescio quomodo quasi prava opinione ducti, arbitrentur. Verum longe secus, ac hujus ingenii nobiles, *Christoph. Dominus Hatton*, cæterique *Philo-Saxones*, quos è nostris supra memoravi, claris & antiquis familiis oriundi, de rerum istarum studio sentiebant. Idem cum illis minime sentiebat nunquam satis laudandus *Dufresnius Gallus*, Dominus du Cange ex antiquo & nobili genere profectus. Porro longe secus, ac illi, de literatura Septentrionali jam sentit *Sparvenfeldus Suecus*, suorum decus, exterorum admiratio & deliciæ, claris parentibus ortus, qui ad *Gothicas* literas & antiquitates illustrandas, illarumque remp. ampliandam, magnam antiqui orbis partem sub auspiciis sui Regis nuper peragratus est. Denique, ut par est credere, neque prænobilis ille *Gulielmus Pakinton*, qui fortissimo illi imperatori ante trecentos & triginta annos, *Richardo Burgidalensi*, *Nigro* dicto, principi quum à secretis, tum ab ærario fuit, literarum *Saxoniarum* notitiam quantum hujus seculi nobiles, tantum contemnere potuit, aut tam pingui, & plane plebeio more de illis cogitare & loqui. Ille enim qui Regum *Angliae*, *Johannis*, *Henrici III.* & *Edwardi II.* vitas scribere, resque ab iis gestas *Literis Gallicis* prodere voluit, quibus uia est *Anglia Saxonica*, & *Nortmannica*, Sermones Sermonumque dialectos non potuit, me judice, non intelligere, atque superiorum temporum membranas scrutari. At neque à doctissimo *Gulielmo* illo *Pakintoniam gentem* originis suæ initium sumpsisse Tu bene nosti, qui in archivis habes duas antiquas chartas; alteram *Robertii Speches* pictoris *Wigorn.* quæ, ut ex manu conjicere licet, ante cccc. annos confecta erat; alteram autem *Robertii de Witinton* clerici, quæ quingentorum annorum antiquitatem, tum in scriptura, tum in cera pendente nondum cum scuto gentilitio signata, præ se fert. Ambæ hæ chartæ antiqui splendoris, & nobilitatis familiæ tuæ monumenta sunt. Nam illa obsignata erat, præsentibus, cum aliis, testibus *Ricardo de Speches*, & *Hugone de PAKINTON militibus*. Hæc vero præsentibus (verba chartæ pono) dominis *Petro de Wike*, *Hugone de PAKINTON*, *Alexandro de Abbetot militibus*. Ex horum *Hugonum* juniori *Gulielmus* ille ante memoratus ortum duxisse, quemadmodum à seniore, cuius nepos pronepolve fuit, junior ille Hugo genus traxisse videtur. Præterea neque Hugo ille grandior ætate familiæ vestræ Caput magis existimandum est, quam suæ fuit *Alexander ille de Abbetot*, qui citra controversiam ab *Ursø de Abbetot Vicecomite Wigornia*, quem secum *Gulielmus Conquæstor* dictus, in *Angliam* duxit, oriundus est. Huic sententiae nostræ id maxime favet, quod, regnante *Henrico I. Conquæstoris* filio, cum *Angli Saxonice* loquerentur, ex charta fundationis Monasterii *Kenelworthensis*, quam in archivis suis servat rei antiquariæ magister supra laudatus *Tb. Abingtonus*, gentem *Pakintoniam* floruisse constat. Mitto dicere de avo *Tuo Johanne*, Baronetto. quem adeo dilexerunt *Wiccini* populus, ut cum perduelliones in illum coram quæditoribus suis litem capitum ob id intenderent, quod in exercitu, quem Rex *Carolus II.* prope *Wigorniam* lustrabat, turmæ præfectus equitaret; nemo tamen ex iis reperti potuit, qui minis, præmiisve denuntiatis adductus, contra illum de hac re testimonium ferre voluit, unde liberatus erat. De majoribus *Tuis*, viris, in suis temporibus, amplissimis, qui regnantibus *Elizabetha* Regina, & *Henrico VIII* Rege claruerunt, mitto etiam loqui. Quorum ex numero erant *Johannes Pakinton*, eques auratus, & *Johannes* ejus filius, quos forte commemoravit *R. Bradeyus* p. 35. adpendicis ad librum suum de *Burgis Anglice Scriptum*, & inscriptum. Hi originem traxerunt à *Johanne Pakinton* equite aurato, cui Rex *Henricus VIII* Sanctimonialium *Westwoodensum* prædia concessit. Quæ Ille *Thomæ Pakinton* equiti etiam aurato ex fratre nepoti suo reliquit. Cujus filius *Job. Pakinton* eques etiam auratus, ædibus *Westwoodensibus* structis, hæredem reliquit *Johannem Pakinton* ex filio nepotem suum, qui factus Baronettus est. Genus, stemmata, majorum monumenta, imagines, signa, vix Tua Te vocare scio, qui non ex fortunæ donis, quæ sapientibus cum insanis communia sunt; sed ex solis animi bonis, quæ auferri, quæ eripi, quæ amitti non possunt, homines æstimandos putas: qui etiam laude dignum gerere animum, quam ex antiqua & amplissima familia fortuito esse natum, multo nobilius, & clarius semper existimasti. Hoc etsi cognoscerem, de prosapia Tua aliquid tamen mihi dicendum esse censui, quod ad antiquissimam & nobilissimam majorum colendam linguam hortari antiquissimi & amplissimi generis hominem ad præfationis institutum maxime fore judicavi.

Quamobrem cum ex stirpe tam antiquâ profectus sis, & jure successionis tot præclaros viros repræsententes, quibus *lingua Saxonica*, & *Normanno-Saxonica* vernacula erat: jus ipsum repræsentationis, tot tantorumque superiorum memoria, quæ officio vacare non potest; pium illud, & laudabile studium cognoscendi qui illorum mores, quis qualisque sermo, & quis genius illorum, tam ante, quam post conquæstum fuit; ut verbo dicam, illud ipsum, quod ex his rebus conflatur, & efficitur *honestum*, Te ex atavis seu *Anglo-Saxonici*, seu *Anglo-Normannici* editum, ut utriusvis populi literis, & antiquitatibus intelligendis des operam, flagitare videntur. Quemadmodum igitur *Gulielmus* ille *Pakinton*, nescio à quo cognitionis gradu Superior *Tuus*, iis in studiis, ut opinor, Suo Tibi antevit exemplo: sic *Tibi* id curandum est, ut *Tuos* *Tuo* in

P R A E F A T I O

in iisdem p̄tēcēdas. Tuos dico imprimis natos & nepotes; tum etiam Populares *Wiccios* universos, tum maxime ex iis, qui ad hæc studia ætate aptiores sunt, summæ spei adolescentem *Thomam Seabrikt Baronettum*, & ornatissimos fratres *Littletonos*. Surge igitur, & ad legendam Grammaticam nostram *Anglo-Saxoniam*; Te, quamprimum à negotiis vacaveris, accinge. *Anglo-Saxoniam*, inquam, Grammaticam lege usque ad finem xvii, seu potius xvi Capitis, ubi in literarum *Saxonicarum* studio tyronibus fistendum est. In ipsis etiam legendis *Capp.* omnia quæ ad *Mæso-Gothicas* literas docendas traduntur, studiose Tibi prætereunda sunt, ut solis *Saxonias* discendis sine perturbatione animum adellas, quam incommodus, & fine ordine confusus utrasque simul discendi mos Tibi certissime creabit.

Perlextis ipsis *Capp.* præceptisque in iis traditis mediocriter instructus, ad legenda Evangelia *Saxonica*, quæ *Tb. Mareschallus* Dordrehti edidit, quamprimum Te confer, ut quæ *Foxianis* multo castigatoriæ, magisque dissentibus commoda sunt. His facile superatis, ad *Psalmos Saxonicos* à *Johanne Spelmano* editos procedas. Quorum justa parte explicita, ad *Heptateuchum Saxonicum*, quem *Edw. Thwaitesius* noster purissimum *Oxonie* publicavit, cum spe & animo pertendas. Deinde *Ælfrici* dissertatiunculam de veteri & novo testamento, & ejusdem homiliam paſchalem ordine ad legendam pergas. Hinc ad Regis *Alfredi* versionem Ecclesiasticæ historiæ *Bedæ* paraphrasticam summa cum expectatione progrediāris, utpote quâ nunquam ipse *Cæsar*, *Cicerone* in mediocri dicendi genere quicquam perfectius scripsit. Ab hac ad aliam *Five* ejusdem Regis, *Five Werefretbi* Episcopi *Wigorniensis* Paraphrasticam translationem, scilicet *huc* librorum *An. Man. Sever. Boetii* de Consolatione Philosophiæ, quam accuratissimam *Oxonie* entia studiæ quæ *Stock* genda *SAG* laude illustri medii Eteni qui telliguntur *Succ* tia il gata in deru In Beda p. 2 *A* mus mon eran versu Hin simil parap ne d bat, Hum Q Nort man fria cam cont S acce plur origi Ang

His tandem non indiligerenter lectis, ad harum Institutionum præcepta *Mæso-Gothica* perlegenda constanti animo progredere. Quibus sufficienter eruditus, ad *Evangelia Gothica*, quæ cum *Anglo-Saxonis* excudi curavit *F. Junius F.F.* cum summa delectatione perlegenda ut properes jubeo, si linguae *Anglo-Saxonice*, *Francice* cauſas scire, aut illarum cognitionem, quam Logici demonstrativam vocant, adipisci velis. Harum enim linguarum & dictæ *Mæso-Gothicae* eam senties esse cognitionem, ut alterarum alteram *Communem matrem* esse habendam mecum non poteris, quin propterea judices, quod veteris Angliæ Germano-Saxonius sermo, *Francicusque*, quem Franci in Germania Galliaque usurparunt, Gothicam istam, quam magnis viris auctoribus, *Mæso-Gothicam*, & *Ulphila-Gothicam* vocavi, tum forma & facie, totiusque quodammodo corporis specie, tum moribus, si dicam, & ingenio, quemadmodum filia parentem, refert. Quod cum apud me diligenter sœpius, & attentius perpenderem, existimare coepi aut *U.L.PHILAM* Mœsiæ Antistitem, ejusque populum à Græcis fortasse Goths dictos, re ipsa *Teutones* fuisse; aut, quod magis credo, *Teutonem* aliquem *Uphilam* *Five æqualem*, *Five illo* forsitan superiorum, *Argentei Codicis* esse Auctorem. Dico forsitan superiorum, quia Germanos doctrinam Christianam ante *Irenæi* tempora amplexos esse constat ex ejus verbis lib. I. cap. IIII. *Kαὶ ἦτε ἀπὸ τοῦ θεοῦ μερισμένος ἐκκλησίας ἀπόστολος πατέρων*. Verum præterquam quod ipsis codicis sermo, à *Bon. Vulcanio, Ufforio Armachano, F. Junio, & Mareschallo Gothicus* vocatus, pervertitus *Teutonicus* esse videtur, accidunt rationes, propter quas *Teutonicus* homo ipsis Græcorum *Evangg.* traductionis auctor haberi; & probabiliter dici potest. Nam Primo, + *Monaſterii Germanici* liber, *Codex Argenteus* erat. Secundo, nulla in illo *Areiana hæresios vestigium*, cuius *Ulphilam Mæso-Gothicum* fuisse suspectum historici tradunt. Tertio, *Argentei Codicis* literæ *Runis* Scandinavie & circumiacentium regionum, unde Goths in Mœsiam profecti sunt, & figura, & ordine, & numero, numeraliumque notarum usu longe diversæ sunt. Quarto multis in locis liber is convenit cum Græco Evangeliorum Codice * *Beza Cantabrigiensis*, quem Latinæ Ecclesiæ librum fuisse, tum *Latina* versio, tum manus in qua describitur, tum etiam plurimæ lectiones, ab omnibus Ecclesiæ Græcae vetustis *Evangg.* Codicibus differentes, ostendunt. De-

+ Vid. lib. qui Anglice inscriptus *The life of the most Reverend Father in God JAMES U SHER, &c. Londini prodiit MDCLXXXVI. p. 563.* Argenteus ille codex membranaceus, qui quatuor *Evangelia* aureis & argenteis literis *Gothice* descripta continebat, ad *Werdeni* *Five Werdenensis* monasterii bibliothecam pertinuit in regione *Bergensi* quatuor fere à *Colonia Germanica* miliaribus distantis. * Sed Codex *Bezae* vetustissimus, cuius lectionem non raro noster imitatur, habet διάτονος ψυχες. *Mareschalli* observat. de versione *Gothica*, p. 403. Firmat tamen hanc nostram conjecturam, quod vetu-

stiss. *Bezae Codex*, cuius vestigia hic noster frequenter premit, in Gr. legerit διὰ τῶν μαθητῶν. Latine per discipulos. Ibid. μὲν τελέος αὐτῷ *Goth. STΑΙΓΡΩΣ ΓΧΨ ΗΝΣΑΚΙΣ*, Semitas Dei nostri, sic Codex *Bezae* vetust. in Gr. τὰ Θεοῖς ημῖν. In Lat. *Dei nostri*. p. 413. Inter variantes Codicum Evangeliorum lectiones in Bibliorum Polyglottorum Tomo. VI notatas me Codice *Bezae* vetustissimo haud parum adjutum fuisse in lectione illa *Græca*, quam ob oculos habuisse videtur *Interpres Gothicus*, discernenda, & ego libenter recognosco, & citations pervetusti illius monumenti frequentiores abunde testantur. p. 484 nique

GRAMM. ANGLO-SAX. &c.

nique si curiosus lector literas Argentei Codicis cum *Græcis & Latinis Codicis Laudensis Actorum SS. Apostolorum*, qui in Bibl. Bodleyana adservatur, conferre velit, sentiet illas exceptis ♂ & ♀ ex isto, vel alio id genus Latinae Ecclesiæ libro omnes esse sumptas, quemadmodum in Gramm. Anglo-Saxonice, & Mæso-Gothicæ cap. I. ostendimus. Dico ex isto, vel alio id genus Latinae Ecclesiæ libro, quippe quod codicem illum haud secus ac evang. Bezanum Cantab. quum Latina versio, tum manus tam Græca quam Latina Ecclesiæ librum fuisse probant. Ad Germanicam etiam bibliothecam perinde ac Codicem Argentum olim pertinuisse, atque ex Germania ad sempiternæ memoriarum Archiepiscopum codicem Laudensem esse transmissum, in una litterarum quas ad Universitatem Oxon. dedit o. Margerius, se legisse me certiore fecit Humphr. noster Wanleyus. Quod porro ut argumentum, meo quidem judicio, non contemnendum, adducere potest, ad probandum Græcorum Evang. Gothicæ dictæ versionis doctum, qui illam patriæ temporisque sui literis partim ad Græcas, partim ad Latinas formatis descriptis, Teutonem aliquem fuisse auctorem.

Verum ut eo revertatur, unde paululum declinavit oratio, Evangelii his five Mæso-Gothicis, five Teutonicis, studiose perfectis, Grammatica Islandica Tibi diligenti manu versanda est, si huc usque progressus ad purioris Anglo-Saxonice, & Argentei Codicis antiquissimæ linguæ scientiam, & Dano-Saxonice doctrinam velis adjungere. Hujus Grammaticæ regulis recte institutus ad studiose legendam justam aliquam Bibliorum Islandicorum partem pergendum est; imprimis Evangelia, quæ cum Ulpilæ putata Evangeliorum Græcorum versione Gothicæ Latinis literis impressa, Stockholmia excudit doctissimus Georgius Stiernbielmus Anno MDCLXXI. Hinc progredere ad legendam EDDAM Islandorum à Petro Johanne Resenio Hafniæ publici juris factam, vel quamvis SAGARUM, i.e. historiolarum, quas in haud exiguo numero Dani, Suecique cum magna sua laude publicaverunt.

Præcipue vero liber Heims Kringla in scriptus versione gemina per Johann. Perinskioldum illustratus Tibi cum primis legendus est, quippe qui continet historias Regum Septentrionalium à Snorrone Sturlesonio Islando-Gothice conscriptas. Quas quis Gothicæ linguæ rudimentis mediocriter tantum instructus non solum sine tædio, sed cum magna voluptate possit legere. Etenim crede mihi, Johannes Pakintone, in id genus librorum lectione aliquo modo exercendi sunt, qui Dano-Saxoniam dialectum, & quæ Dano-Saxonice scripta apud nos supersunt, recte intelligere cupiunt. Imo linguæ Gothicæ, five ea Islandica, five Scandica, five Norvegica, Suecicave dicenda est, non tantum admodum utilis, sed quodammodo necessaria aliqua scientia illis est, qui illorum cognitionem assequi volunt, quæ de dialecto Dano-Saxonica, partim ligatam metricamque orationem, partim solutam spectanti in Institutionibus nostris tradidimus. Quibus à lectori rite lectis, & intellectis, cum fructu, & delectatione facile leget tam quæ in stricta, quam quæ in soluta oratione Dano Saxonice scripta, posteris majores nostri prodiderunt.

In illo genere sermonis scripti sunt versus veri illius Cædmonis; quorum specimen, quod Beda nobis reliquit, descriptum ex antiquissimo Codice cernas in Humphredi Wanleyi Catalogi p. 287. Quod Tibi observandum est, propterea quod Specimen istud Bedanum, seu potius Alfredanum in multis ab illo differt, quod ex impresso Wheloci libro defumptum exhibuimus Grammaticæ Anglo-Sax. p. 187. In illo, inquam, sermonis genere scripta erant veri Cædmonis Carmina; scilicet in sermone veterum Anglorum, qui futis tum confines, tum cognati erant, ac quorum proinde Sermo ad veterem *DANICUM proxime accedebat, ut Cædmonis versus à Wanleyo descripti & aliquibus vocibus Danicis, & voces scribendi ratione demonstrant. Hinc sit, ut veterum Anglorum Sermonis, qui in Borealibus Angliae partibus considerunt, tam similis sit posteriorum temporum Dano-Saxonica dialectus, in qua etiam scripta est Genesios paraphrasis poetica, quam editor ejus F. Junius & Sermonis metrique, & argumenti similitudine deceptus Cædmoni adjudicavit. In hac etiam dialecto, quæ Angliam fere omnem personabat, multa alia condita sunt poëmata, quorum haud paucorum, quæ jam extant, notitiam, Humphr. Wanleyi librorum Catalogus Tibi suppeditabit.

Quoad dialectum, quam in his Institutionibus Nortmanno-Saxoniam, & nonnunquam Anglo-Nortmannicam dixi, nihil plane aliud est, quam Dano-Saxonice corruptior pars. Etenim Nortmanni, qui Angliam à Danis dominis Dano-Saxoniam factam sibi subjecerunt, quamvis à Neustria huc profecti, origine Dani & Norvegi erant, ante à majoribus suis depravatam Saxoniam linguam vocibus novis exoticis, tam Danicis, quam Gallicis, & Franco-Gallicis, data opera, contaminabant; & quoad possent, & liceret, extinguere conabantur.

Supereft, Johannes Pakintone, ut quæ in hac altera Institutionum Anglo-Saxoniarum editione accesserunt, paucis dicam. In capitibus singulis à principio primi ad decimi septimi finem, plurima tum præcepta Grammatica, tum lectissima exempla lectoribus imprimis utilia, tum vero tabellæ sculptæ haud paucæ adduntur. Quæ, si illarum primam cum secunda hac editio-

* DAN & ANGUL, à quibus Danorum coepit memoriarum proditum est. --- cuius successores post-origo patre HUMBLE procreati. --- ex quibus modum Britannia potiti priscum Insulæ nomen Angul, à quo Gentis Anglicæ principia manasse novæ patriæ suæ vocabulo permutarunt. Saxon. Gr.

P R E F A T I O

ne diligenter contuleris, non sine aliqua voluptate clarissime cernes, quantum haec illam superat; opusque ipsum ad incudem revocatum, quod non arroganter dictum puta, singulari opera & non absque laudabili quadam artis specie jam tandem elaboratum dicas.

A capite undevigesimo ad finem omnia nova sunt. Verum in haec parte nonnulla quae dicuntur capita tractatus justi sunt, præcipue vigesimum tertium de *Poëtica Anglo-Saxonum* inscriptum, quod in *beſalibus Chartis* si cum præfatione per se foret excusum, iustum librum putares. Quod *tabellas, chartas, characteres seu typos novos*, aliaque *veta statis Saxonice* monumenta attinet, quæ hanc alteram Gramm. *Anglo Saxonice* editionem, & imprimis nova illa capp. exornant, & illustrant, si non omnia prorsus necessaria, magno tamen usui discentibus fore; lectoresque, præsertim qui curiosi sunt, fructum cum animi oblatione ex iis capturos, nisi me de meis fallat augurium, censebitis & Tu, & quotquot Tui candore similes, æqui rerum arbitri sunt. Qui aliter sentiunt, si qui forte tam duri censores sunt, oratos illos velim, ne existiment me inani gloria, aut aliqua ostentationis cupidine ductum, illa eam ob causam exhibuisse, ut splendidior, & augustior iis facta Grammatica nostra prodiret; multo minus ut illorum splendore captos iri lectores putarem; sed quod φιλαρχίαι, præsertim *Anglis Scotisque* fore illa jucunda simul, & utilia spectatu judicarem; tum maxime quod tot præclarâ majorum monumenta, ut in tenebris perire finerem, à me non facile possem impetrare.

Præterea monendum es, si barum *Institutionum* lector esse velis, illarum quasi partem haberi debere de antiquæ literaturæ Septentrionalis utilitate dissertationem epistolarem, quam ut scriberem *Bartholomæus Showere*, eques auratus, vir juris *Anglicani* prudentissimus, plurimis argumentis suadebat. Imprimis autem illam à me ita comparatam esse voluit, ut si mea ars id efficere posset, in ea legenda ad linguarum vett. Septentrionalium studium juris nostri civilis studiosi potissimum excitarentur. Quem ad finem auctor etiam mihi esse voluit, si unquam quidquam in monumentis sive *Anglo-Saxonis*, sive *Anglo-Nortmannicis* observasse, quod rem nostram forensem, judiciariamque ad illustrandam aliquo modo conduceret, ut id omne in ista dissertatione proferrem. Quamobrem de *Curia Comitatus* dignitate & auctoritate, quæ apud *Anglo-Saxones*, *Dano-Saxonesque* fuit, & duodecimvirali causarum judicio, ejusque apud nos origine, tanto viro morem gerens ibi multa disputavi; verum an recte aptaque, an secus, candori Tuo judicandum relinquo. Tum, cum de his scriberem, auctorum in Curia Com. *Cantiana*, regnante Stephano Rege, hanc tabulam non vidissim, quam hic porro exhibere visum est, quod rei antiquariæ studiosis non potest non esse grata, & quod in illa acta esse dicta *juratorum duodecimvirorum* de exordio, & origine quæ scripsimus illustrare, & confirmare videntur.

Ælwardintune est terra Monachorum aecclesiae Christi Cant. & de mensa eorum. Ista terra dat 4. lib. & 10. sol. ad victum eorum, & 3. sol. ad altare Christi pro omnibus servitiis & consuetudinibus quae ad terram pertinent. De ista eadem terra, quidam Vicecomes Radulfus Picot nomine, Scottum & Denegeldum & de Murthru & cetera quae de terris reddi solent, exigebat injuste. Tandem autem post multos sermones & Placita inde habita, ventum est in Comitatum quod idem Radulfus apud Castainers tenuit. Et ibi per judicium totius Comitatus ostensem & diratiocinatum est à *Justiciis vel ministris Regis*, vel ab alio aliquo nichil omnino de praediis exigi vel accipi debere, nec aliquam potestatem super eandem terram habere praeter Monachos aecclesiae Christi Cant. quia Dominica terra eorum est. Isti nominatim praefentes fuerunt in Comitatu ubi hoc diratiocinatum fuit. Actum est autem hoc tempore regis *S T E P H A N I*, & Archiepiscopi *T H E O D B A L D I* sub praedicto Vicecomite apud Castiners, anno ab incarnatione domini nostri *I H V* Christi m°. c°. l. iii°. Radulfus Picot, Ascketinus de Retlinga, Ricardus Castel, Thomas de Sancta Margareta, Malgierus, Willelmus de Tichesei, Reginaldus Dapifer, Willelmus filius Ansfridi, & Radulfus frater suus, Hunfridus de Wotringeburgh, Philippus de Tanga, Rogerus Folet, Turstanus Dapifer Episcopi, Gerardus de Hardes, Rodbertus de Cloevile, Guido le Napier, Willelmus de Hesetford, Stephanus de Kennardintune, Thomas de Essendune, Rodbertus le Vethel, Petrus de Otteham, Hugo Brutin, Thomas de Ledesinge, Heielnoth praepositus de Hollinga, Florent de Bosentune, Alanus de Retlinga, Remberd, Hugo filius, Thomas de Bockyng, Rodbettus le Arblestir, Rodbertus Pel de Du, Æliwinus de Cliva.

Accedunt etiam ad *Dissertationem Epistolarem*, tanquam supplementum ejus, seu magnum potius decus, viri humaniorum literarum maxime gnari *Andreae Fountaine*, equitis aurati, numismata *Saxonica*, quæ Tibi tam grata fore spero, quam quod gratissimum, & *Saxonice* literaturæ amore accensa esse lectoris animum.

Denique Te rogo, ut Gramm. *Anglo-Sax.* p. 88. l. 5. post Extat, addere velis nonnullas iſorum temporum *Chartas*. Quæ verba, qui autographum nostrum exscribit, casu prætermisit. Quod restat, D. O. M. obnixe precor, ut Te patriæ diutissime conservare velit; & cum post plurimos annos tandem è corpore exceperis, ut facilis Tibi sit ad Superos cursus. Insuper Familia Tuæ dignitatem & amplitudinem ut Pater coelestis semper etiam conservet, tueatur & augeat, quotidianis precibus ab Illo supplex petit *Tuus Georgius Hickeſius*. Vale.

Londini iv idus Jun.
A. D MDCC. III

Index